



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Regula ad perfectionem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

REGVLA brevis, seu via ad perfectionem, respondens petitionibus orationis Dominicae. Hanc meditando expendere iuvabit.

PRIMA. Pater noster qui es in caelis. Et contemplaris in omni loco bonos & malos. da mihi, obsecro quod jubes, ut ambularem coram te & sim perfectus sicut tu Pater meus caelestis perfectus es. *Haccine vera*, ut sup. pag. 7.

De praesentia.

Gen. 17. Matth. 5.

Secunda. Sanctificetur nomen tuum. Utinam, utinam o bone IESV, in illo flectatur omne genu, & ab omnibus omnia pura intentione fiant in nomine tuo ut in omnibus honorificeris, dulcissime Redemptor mi, atque exemplo & verbo omnes traham ad te omne bonum, ego servulus tuus.

Intentio pura, fides & zelus animarum.

Credo tibi, ut sup. pag. 7.

Tertia. Adveniat regnum tuum. Ad hoc enim nati sumus, sed quod majus est, sic N. redempti a te, ut terrena haec despiciamus, & conversatio nostra in caelis sit, & tecum sit, qui non dignaris omni hora audire me in conspectu Sanctorum tuorum, neque oblivisceris mei vincti & improbi servi tui in gloria tua. Quid ergo me separabit a te?

Contemptus rerum humanarum & spes.

Aspira, ut sup. pag. 8. *Haccine firma fide* ibidem.

Quarta. Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra. In corpore & anima mea. Nonne enim omnes Angeli, omnes creaturae obediunt voci tuae? quanto magis ego vermis & non homo, faciam voluntates tuas, quas aut inspiraris mihi, aut per Superiores indicaris? quid enim mihi est in caelo, & a te quid volui super terram? *Credo tibi*, ut sup. pag. 7.

Resignatio perfecta & charitas.

Quinta. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, o benignissime IESV, non tantum supersubstantialem, corpus tuum, sed meditari dolores tuos, atque eloquia tua, dulciora super mel & favum. Verè enim non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore tuo, favius enim distillans labia tua. Da mihi omnem sollicitudinem in te projicere, dixisti enim & credo quod haec omnia adjicientur nobis.

Meditatio rerum divinarum.
Psal. 18. Matth. 4.

Aspira, ut sup. *Haccine firma* pag. 8.

Sexta. Et dimitte nobis debita nostra plurima, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Numquid enim oportet alterum alterius onera portare, & sic adimplere legem tuam? ille enim verè perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est. O quam suavis est Domine spiritus tuus; Ecce si ego demisero denarium unum proximo meo, talenta plurima dimittes mihi ex infinita misericordia tua, & te mihi dabis ex immensa charitate tua. *Haccine vera*, ut sup. pag. 7.

Dilectio proximi etiam inimici.
Gal. 6. Gregor. Perfectus quis sit.
Sap. 1. Matth. 18.

*Fortitudo in
tentationi-
bus ac sui
mortifica-
zione.*

2. Cor. 3.

Psal. 50.

*Dissidentia
sua ac confi-
dentia in
Deo.*

Septima. *Et ne nos inducas in tentationem.* Tentatio enim est vita hominis super terram : sed concede ut resistam, sic ut possum per gratiam tuam : fidelis enim es, nec fines me tentari ultra id quod possum. Tribue etiam ut mortificatione illam præueniam, & iudicia hominum contempnam, & momentanea æternis, coram te iudice meo, & patre amantissimo non præferam. *Credo tibi*, ut sup. pag. 7.

Octava. *Sed libera nos à malo* culpæ & pœnæ, nihil enim verè absque tua providentia accidit nobis, & nihil possumus ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex te est. Libera ergo me, & charitas Deus meus, sicut & quando tibi placuerit ; & mundum crea in me, atque illud examine frequenti purga velut speculum mundum radios bonitatis tuæ excipiam & addeam amore tui, & vivam ego jam non ego, vivas autem in me. Christo Iesu refugium meum, & ut securus committam meo tum paternæ providentiæ tuæ in tempore & in æternitate.

Aspira, ut sup. pag. 8. *Hæcine firmâ fide, &c.*

Brevis Regula S. P. Ignatii pro perfectione consequenda sæpè expendenda.

Hoc documenta suis Ignatius editi alumnis.

Vt methodo parvâ commoda magna ferant.

Nulli, vel minimo, quavis ratione repugnes,

Cedere te potius quàm superare iuret.

Primò Adverte quam turpe sit facilè alicui contradicere sive superiori, sive inferiori, sive æquali, semper ego dum liceat, quod aliis probatur tu complectere, & appende, quanto melius te & alios in pace servare, eosque charitate & humilitate superare, quàm à tui amore ac iudicio proprio superari ac perturbari excusando, contradicendo, &c.

Credo tibi, ut sup. pag. 7.

Obsequium studeas præstare per omnia cœcum;

Iudiciumq̄, lubens subijce cuique tuum.

Luce 10.

Secundò, Præstare debes obedientiam cœcam in rebus minimis & parvis. Numquid enim scriptum nosti: *Qui vos audit me audit?* Iudicium verò etiam æqualibus & inferioribus subijcere stude; Omnis enim qui se humiliat exaltabitur. *Credo hæc?* *Credo tibi Domine*, ut sup. pag. 7.

Non vitia inspicias aliena, & visa retundas,

Sed propria accuses, atque patere velis.

Tertia

Tertio, vide quàm turpe curiosè defectus aliorum observare, & semper paratus esto ad excusandum eos: certè nõnne utilius tibi accusare teipsum, & non cū Adamo excusare? Nõnne enim Deus novit insipientiam tuam, & omnes in iudicio eam agnoscent si jam te vanè excuses: ignoscent verò si te accuses? *Aspira, ut sup. pag. 8. Haccine firmà, &c.*

Quidquid agas, dicas, mediteris, prospice finem

Proximo an expediat, complacatq, Deo.

Quarto, Numquam loquaris, vel respondeas, vel mediteris, vel ambules, vel quid demùm facias; nisi prius cogites an Deo placeat, an exemplo & ædificationi sit proximo: Itas enim coram Deo, cui de omnibus nõnne reddenda severa erit ratio?

Haccine vera, &c. ut sup. pag. 7.

Sit sua spiritui libertas semper; & illam

Nec persona potens, causa vel ulla gravet.

Quinto, Serva libertatem spiritus ubique etiam cum quacumque personà: Christianam inquam tene libertatem ad opposita: & ne eam propter humanum respectum perdas; nõnne enim scriptum, qui hominibus placent confusi sunt, Deus sprevit eos. *Credo tibi, &c. ut sup. pag. 7.*

Ne facili jungas tibi consuetudine cunctos;

Spiritus ac ratio quemlibet ante probent.

Sexto, Ne sis communis omnibus, neque familiaris, sed consule spiritum, ad quem ipse magis te moveat atque impelat. Inspicias tamen accuratiùs, quales & qui sint motus, qui ad hoc te moveant. Nõnne enim scriptum, Cum bono bonus eris. Et rursus, Vir iniquus lætat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam. *Credo tibi, ut sup. pag. 7. Prover. 13.*

Exerce assiduè pia mente & corpore factas

Sis populo demens, sic sapias ipse Deo.

Septimo, Exerce te continuo actualiter & mentaliter in exercitiis piis, & desidera haberi stultus ab hominibus, ut sapiens habearis à Deo, & ipsum lucrifacias, ut dicere queas: nos stulti propter Christum; stulta enim mundi elegit Deus, suadetque dicens: Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. *Haccine vera, ut sup. pa. 7. I. Cor. 1.*

Fac matutino vespertinoq, revolvat

Hac studio: & lectum dum petis adde preces.

Octavo, Hoc inquit erit tuum studium. Mane & Vespere cum ibis cubitum, ista percurrere.

Exer.

Exercitium seu descriptio viri spiritualis, ad quam te examina.

Poteris autem utiliter id facere, si singulis notis subijcias hanc interrogationem. An talis sum? & cur non? An talem me vult Deus, & esse possum? quid igitur faciam? firmumque adde propositum, & libet. *Credo tibi*, ut sup. p. 7.

Vir spiritualis hominem interiùs ordinat: Exteriùs ornata rebus turpibus cohibet, sermones rectos & utiles amat: non pueriliter in risum effunditur, non altè loquendo clamat, modestè incedit: aliorum facta non curiosè inquirat, admonitiones hilari vultu recipit: errori aliorum facilè condonat, laudibus non extollitur, detractatione non deicitur: interroganti facilè leniterque respondet, contendenti facilè cedit: patienter alios audit; in omnibus ædificare fratrem studet. Rari est & gravis sermonis: in cibo & potu parcus & sobrius: Compositus in vultu & verbis, filius veritatis, oculos habet dimissos, & simplices: puritate candidus, humilitate insignis: obediens promptus, patientiã præmunitus, in oratione assiduus, in fide stabilis, in opere diligens, in abstinentiã rigidus, in moribus exemplaris: in conversatione gratus: in verbis affabilis, in dando liberalis, amicis fidus: inimicis benignus: Deo resignatus: sibi mortuus, mundo crucifixus: omnibus omnia, ut omnes lucrifaciat.

CAPVT III.

PRÆFATIO *in vitam Christi.*

VITA Domini nostri IESV verè lignum est vitæ & medicamentum animæ nostræ. Quam verò sit utile eam meditari, audi Bonaventuram: Super omnia (ait) spiritualis exercitii studia hoc magis necessarium, magisque proficuum credo, & quod ad excelsores gradum producere possit. Meditatio hæc, inquit, roborat mentem contra vana & caduca, fortificat contra tribulationes, docet circa gerenda, &c. Vitã igitur Domini nostri digressi in puncta, eaque verbis S. Scripturæ conflata. Vix adjeci ulla considerationes, scientibus enim Scripturas loquor: Indicavi dumtaxat quinam affectus excitari queant, unde si opus fuerit extendi & intendi. Huc spectant quæ de affectibus supra habes

*Quam utile
meditari
vitam Iesu.*